

STATUTUM XV.

De Seniore ad Contubernium Jurisperitorum vocando.

Quandoquidem privilegio Reverendissimi olim Joannis Konarski, Episcopi Cracoviensis, Die prima mensis Junij 1519. in Statuto Universitatis Rectoratu Magnifici olim Joannis de Pileca Die 24 Mensis Augusti 1491 formato praescriptum sit, ut Senior Bursae Juristarum inter alios, cum locus vacat in Collegio prior advocandum debeat esse; ideo statuimus et Perillustrem ex Collegio Nostro Juridico Ecclesiae Cathedralis Crac. Canonicam, uti et tanquam dietae Bursae provisorem natum, hoc Statuto obligatum haberi conamur, quemadmodum obligamus, quatenus vacante senioratus praefatae Bursae Professione, virum talem per Universitatem eligendum proponat, qui in Utroque Jure per exauditas Lectiones exercitatus fuerit et examen post vocationem sui ad Bursam seu Contubernium, coram CC. Doctoribus Juridicum Collegium inhabitantibus ante Principiaturam more Collegarum vocatorum (ut supra praemissum est) sub nullitate suae ad Contubernium vocationis subire sit adstrictus. Quae enim ad perpetuam utilitatem instituta sunt nulla debent immutatione variari. (can. Quae ad perpetuam. 25. 9. 1.)

STATUTUM XVI. *vide XIX (pag. LVII)***De Tempore lecturae D. Senioris Bursae Jurisperitorum et non usurpatione eorum, quae spectant ad formales Collegas Juridicos.**

Quamquam Senior Contubernii Jurisperitorum gratia praelegendae Lectionis Regularum Juris diebus Sabbativis, Pervigiliorum ac silentij tempore ad Cathedram CC. Professorum Juris secundum antiquam praxim et consuetudinem admittatur et a professione, ad quam vocatus est, Professor utriusque Juris intituletur, tamen ad Actus Collegas Actuales Juridicos concernentes, utpote praesentationes Doctorandorum, Convocationes Domus et his similia formalibus Collegis praedictum quodcumque et quomodocumque inferentia (nisi id de consensu omnium fiat) se

ingerere non debet idque more antecedaneorum suorum praefati Contubernii Seniorum. In jus enim ipsorum successit, jure illorum uti debet. (l. Qui in jus St. de Regul. Juris.)

STATUTUM XVII.

De Officio Professorum.

Quoniam uniuscujusque ac praecipue publici Professoris ex informatione (l. Attilius Regulus St. de donationib.) Officium in diligentia et eloquentia consistat, ac qui se alios docere promisit (in fundamento gloss. can. Ponderet. v. Docuit. dist. 50.) Deo se fecit obligatum; ideo ne in conscientia oneretur et Deo rationem in tremendo ejus judicio suo tempore de sua Professione reddat, imparatus Cathedram non ascendat, ad ea, quae in publico Discipulis suis dicturus est, domi se diligenter praeparet, in dubijs, aut alios, aut multos Magistros Libros consulat et ex Cathedra inhaerendo (can. oportet § 9. 1.) ad captum congregati pro Lectione sua auditoris clare et dilucide eloquatur, ac omnes difficultates suae Lectionis per explicationem enucleare studeat et sub onere conscientiae teneatur. Discipuli enim in ea arte, cui student, nihil debent habere absconditum ut Oratores maximi, justitiae satellites et judiciorum optimi tam Athletae, quam Gubernathores omni loco aevoque felices inveniantur. (§. Et quod jam. v. Discipuli. in Prooem St. in fin.)

STATUTUM XVIII.

De Obligationibus eorundem Professorum.

Ex quo aliquis suscepit unum connexorum, videtur (per gloss. c. Cum in cunctis. §. Inferiora. v. Removeantur. de Elect. et elect. potest.) ad reliquum se obligasse; ideo quilibet Professor ad Collegium vocatus, facta pro illo responsione et expeditis (ut supra praemissum est) de jure et consuetudine expediendis, ac suscepta aliqua Professione ne inutiliter inter alios Comprofessores toleretur et ut suam, quam nactus est spartam re ipsa et non ad Colorem tantum adornet, riteque ac legitime salarium de sua Professione praetendat et percipiat, ad sufferen-